Quelle: https://manuscripta.at/?ID=46681
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek



et alius nondum aduenit. Et cum
uenit oportet illum breue tempus
manere. et bestia que erat. et non est.
et ipsa octaua est. et de septem est. et
in interitum uadit. Et decem cornua
que uidisti. decem reges sunt qui reg
num non dum acceperunt. sed potestatem
tamquam reges una hora accipient po
testatem. Hi unum habent consilium
et uirtutem et potestatem suam bes
tie tradent. hi cum agno pugna
bunt. et agnus uincet illos. quoniam
dominus dominorum est. et rex regum
et qui cum illo uocati sunt fideles.
et electi. Et dixit mihi. Aquas quas
uidisti. ubi meretrix sedet. populi
sunt. et gentes. et lingue. Et decem
cornua que uidisti in bestia. hi o
dient desolatam et fornicariam. et
desolatam facient illam. et nudam.
et carnes eius manducabunt. et
ipsam igni concremabunt. Deus
enim dedit in corda eorum ut faciant
quod illi placitum est. ut det reg
num suum bestie donec consum
mentur uerba dei. Et mulier quam
uidisti. est ciuitas magna. que hab
et regnum super reges terre.

Et post hec XVIII.
uidi alium angelum descen
dentem de celo. habentem po
testatem magnam. et terra illuminata
est a gloria eius. Et clamauit
in fortitudine uoce magna dicens.
Cecidit cecidit babilon magna. et
facta est habitacio demonorum. et
custodia omnis spiritus immundi
et custodia omnis uolucris immunde
et odibilis. quia de uino ire form
icationis eius biberunt omnes gen
tes. et reges terre cum illa fornica
ti. et mercatores terre de uirtute de
liciarum eius diuites facti sunt. Et
audiui aliam uocem de celo dicentem
Exite de illa populus meus. et ne par
tipes sitis delictorum eius. et de pla
gis eius non accipiatis. quoniam pe
netrauerunt peccata eius usque ad celum.
et recordatus est dominus deus in
iquitatum eius. Reddite illi sicut
et ipsa reddidit nobis. et duplicate
duplicia secundum opera eius in
poculo quo miscuit uobis miscete
illi duplum. Quantum glificauit
se. et in delicias fuit. tantum date
illi tormentum et luctum. quia in
corde suo dicit sedeo regina. et ui
dua non sum. et luctum non uidebo.
Ideo in una die uenient plage
eorum eius. mors et luctus. et fames.
et igni comburetur. quia fortis est
deus qui iudicabit illam. Et flebunt
et plangent se super illam reges ter
re qui cum ea fornicati sunt. et in
delicias uixerunt. cum uiderint fu
mum incendii eius longe stantes
propter timorem tormentorum eius
dicentes. Ve ve ve. ciuitas magna
illa babilon. et ciuitas illa fortis.
quoniam una hora uenit iudicium
tuum. Et negociatores terre flebunt
et lugebunt super illam. quoniam
merces eorum nemo emet amplius
merces auri. et argenti. et lapidis.